

patriae incolumitate sensisse, ut numquam de suo periculo laboraret, cum exilium non meruerit aeternum, sed mature in patriam et decretis senatus et consensu populi restitutus sit.

5 Miseram profectionem.

Vigilanter medellam pudori suo adhibuit dicendo tristem magis profectionem quam ignominiosum illud exilium fuisse, ut non sit infame, quod solam habuerit iniuriam.

Eius devotionis me esse convictum iudicio
10 deorum.

Vetuste locutus est: voti enim convictos dicimus eos, qui ad effectum perveniant eorum, quae sibi evenire semper optaverint. Convictum ergo se dicit.

Non tantae voluptati erant suscepti, quantae § 2.
15 nunc sunt restituti.

Concepte posita sententia. Etenim cum manet inlibata felicitas, minor est gratulantium fructus; cum vero ab dolore intercedentis iniuriae ad prosperitatem fortunae revocatur, pressiore iudicio sensus felicitatis accipitur.

20 Sed tamquam bona valetudo iucundior est iis, § 4.
qui <e> gravi morbo recreati sunt.

Ἀπὸ τοῦ ὁμοίου ἐπιχείρημα. Et supra copiose et hic abundantissime dilatavit sententiam volens ostendere plus esse gratulationis mala depulisse quam fortunae incommoda
25 numquam sentire potuisse, quippe sensus incommodorum commendabilia facit illa, quae prospera sunt. Qualis sententia Vergiliana est: 'Forsan et haec olim meminisse iuvabit.' Verum Plato in πολιτείᾳ his, ut opinor, verbis